

DE IMPEDIMENTO ORDINIS.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-SEPTIMÆ SYNOPSIS.

*Occidens proprium mulier violenta maritum,
Nullo deinde aliis nubere jure potest.*

Sic incipit: *Sunt igitur.*

Sic terminat: *Usquequo consentiat.*

1. Connectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de impedimento erroris conditionis servilis; & haetenus de impedimentis, quæ reddunt personas inhabiles ad contrahendum, medias inter plenè legitimas, & penitus illegitimas; sed in præsenti determinat de impedimentis statuentibus personas omnino illegitimas ad contrahendum; & primò de ordine, & uxoricidio: ergo rectè hæc distinctio consonat superiori.

2. Consequentia probatur: Priùs est agere de impedimentis, quæ non reddunt personas omnino illegitimas ad contrahendum, sed cum certis conditionibus, & determinatis personis, ut error conditionis servilis, & alia hujusmodi, quæ de impedimentis, quæ omnino, & absolutè reddunt personas inhabiles ad contrahendum, eò quod de minori ad majus semper formetur ascensus; sed Magister in superiori distinctione egit de impedimento erroris conditionis servilis, & haetenus de iis, quæ non constituunt personas omnino illegitimas ad contrahendum; & in præsenti jam determinat de iis, quæ ipsas reddunt omnino ineptas, & primò de ordine, & uxoricidio: ergo rectè connectuntur.

3. Dividitur præsens distinctio in duas præcipus partes. In quarum primâ Magister dægit, quomodo per ordinem sacrum impediatur Matrimonium. In secundâ verò declarat, etiam per uxoricidium Matrimonium ipsum retardari.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ ostensione, hæc prima statuitur conclusio: *Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi non possunt contrahere Matrimonium; alii verò in minoribus constituti ordinibus, ut Exorci-*

ciste, Ostiarii, Lectores. & Acolyti possunt, nisi voto continentiae, aut Religionis sint astricti. Hanc aliquibus Patrum authoritatibus firmat conclusionem Magister, modò hic à nobis apponendis, & pro modulo nostro exponendis.

5. Illam tamen non incongruè deducimus ex Magistro afferente in litterâ, quosdam esse ordinis, in quibus Matrimonium nullatenus contrahi valet; & si de facto contrahatur, nullum censetur, & omnino dirimuntur, etiamsi intercesserit copula: Hujusmodi enim sunt Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus. In aliis verò ordinibus permittitur sortiri conjugium, nisi Religionis habitum sumpserint, vel continentiae votum emiserint.

6. Probatur jam primò assertum Leonis Papæ valido testimonio in Epist. Nicetæ Abbat. dist. 32. cap. Seriatim, dicente: *Clericos, Lectores, Ostiarios, Exorcistas, Acolytos, si extra votum, & habitum inventiuntur, & continentiam profiteri nolunt, uxorem ducere virginem Ecclesia Romana permittet, non viduam, vel repudiatam. Sed dum minoribus initiatis ordinibus permittit Ecclesia Romana uxorem ducere, reverà excludit majoribus initiatos ordinibus, scilicet Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos: igitur hi non poterunt Matrimonium contrahere, quanvis alii valeant; dummodo voto continentiae, aut Religionis habitu irretiti non sint.*

7. Secundò etiam ex Cartagineasi Concilio, ibidem cap. Placuit, probatur: *Placuit Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos etiam ab uxoribus abstinere; ceteros vero Clericos ad hoc non cogi. Sed dum Concilio placuit arcere ab uxoribus Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, non vero ceteros alias Clericos, satis clare inventit, illos non posse validum contrahere Matrimonium, esto alii clerici minoribus initiati ordinibus, & non voto aliquo continentiae, aut Religionis habitu astricti, validè possint: ergo.*

8. Tertio ex Sextâ Generali Synodo, cap. *Si quis, idipsum expresse comprobatur: Si quis eorum, qui ad clericatum accedunt, vulnerit nuptiali lege mulieri copulari, hoc ante ordinem Subdiaconatus faciat. Ergo qui ad clericatum accedunt, & ante Subdiaconatus ordinem vulnerint nuptiali lege mulieri copulari, ritè & aptè hoc efficere poterunt; seciù si Subdiaconatus ordinem jam suscepit: ergo quia Subdiaconis est prohibitum contrahere Matrimonium: aliiisque latiori ordine pollutibus; non verò ceteris clericis ad Subdiaconatus ordinem non accendentibus, nisi alio ex capite sint inhabiles.*

9. Quartò robotatur alio perspicuo testimonio, quod suppediat

in textū littera Calixtus Papa, & habetur dist. 27. cap. Presbyteris, dīcente: *Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis concubinas habere, seu Matrimonium contrahere, penitus interdicimus.* Ergo solum iis inereditur Matrimonium contrahere, qui à Calixto recensentur, & non aliis: ergo quanvis ordinibus majoribus initiati inhabilis existant ad contrahendum; tamen qui in minoribus tantum sunt constituti, & nullo continentia^e yoto, aut Religionis habitu astricti, possunt contrahere.

10. Quinto, sic ferè eadēm verborum serie promovet Gregorius Papa assumptum dist. 28. cap. Nullum, quod fideliter recensent Magister: *Nullum facere Subdiaconum Episcopi præsumant, nisi qui se castè vietum promiserit.* Sed qui se promittit in manu Episcopi castè vieturam, continentiam votet, & tenetur ad eam: ergo quia non solum Subdiaconatus ordini repugnat Matrimonium, verum & aliis superioribus gradibus; sed minoribus initiati ordinibus, sub hoc non comprehenduntur decreto: ergo poterunt valide contrahere Matrimonium.

11. Sexto ratione suadetur: Omnis ordo sacer, ut Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, & Episcopatus, eò quod accedant ad atiorem altaris gradum, exigit, quod eorem Ministri habeant munditiam mentis, & corporis; sed hanc omnino non asequuntur munditiam, qui Matrimonium contrahere possunt; ut ex se claret: igitur iis ordinibus constituti non valent conjugium perficere; secus qui minoribus initiantur.

12. Sed oppones primò: Sicut virtus non opponitur virtuti, sed omnes inter se recte cohærent, sic Sacramentum cum Sacramento non pugnat, sed omnia simili convenient: ergo ordo & Matrimonium cùm duo sint Sacraenta, debent invicem cohærere, nullamque oppositionem habere; sed quod alteri non opponitur, nullum ipsi impedimentum affert: ergo ordo sacer non impedit Matrimonium; proindeque majoribus initiati ordinibus possunt licet ac valide Matrimonium contrahere.

13. Respondetur, quod licet virtus una aliis non opponatur quantum ad habitum; nihilominus status provenientes ab ipsis aliquando sunt incompossibiles, ut conjugalis, & virginalis; sacerdotalis, & Religiosus. Unde, cùm Sacraenta diversa diversos respiciant status; quemadmodum ordo respicit statum continentia^e virginalis, vel viduallis; Matrimonium vero continentia^e conjugalis statum; ideo sacer ordo impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum.

14. Oppones secundo: Si Sacramentum ordinis sacri impedit

Ma-

Matrimonium; pari jure Sacramentum Matrimonii impediret ordinem sacrum; sed Matrimonium non impedit susceptionem ordinis sacri, cùm plerique conjugati ad Episcopalis dignitatis apicem elevati sint: ergo nec ordo sacer valet Matrimonium contrahendum impedire, nec contractum dirimere.

15. Respondetur negando Majorem, & paritatem. Quia, et si Matrimonium non retardet ordinis sacri susceptionem; tamen ordo sacer impedit Matrimonium contrahendum, & contractum dirimit. Nam in virtutum progressu; secundum communem, verioremque regulam, semper ascendimus à statu imperfectiori ad perfectiorem; nunquam vero à perfectiori statu ad imperfectiorem descendimus; alias non retus, sed inordinatus foret perfectionis ordo, cùm debeat usus ire de virtute in virtutem; cùm ergo Matrimonium collocet contrahentes ipsum in statu imperfectionis; ordo vero in perfectionis statu constituat; ideo Matrimonium non impedit susceptionem ordinis sacri, bene vero ordo sacer Matrimonii contractionem omnino retardat; sicut passim dicimus, quod de saeculo ad Religionem licet ascendere, non de Religione ad saeculum descendere.

16. Oppones tertio: Idem est ordo sacer hactenus pro Latinis ac pro Græcis institutus; sed sacer ordo non impedit Matrimonium apud Græcos, sive Orientalem Ecclesiam: ergo nec apud Latinos, sive Romanam impedire debet. Nec valet si dicas, quod à nobis superadditur yotum, ratione cuius ordo Matrimonium impedit, quia tunc impedimentum ordinis revera à voti impedimento non differret, quod doctrinæ Magistri non consonat.

17. Respondetur cum Seraphico Doctore hic negando Consequentiā. Nam statutum conditum ab Ecclesia pro ordinum susceptione, præsertim arcat Latinos, quam Græcos, et si illos aliquomodo astrinxat; quia Latini huic Ecclesiae ordinationi ultronei se subjecerunt; Græci vero in sua ruditate permanerunt, & hactenus irretiti suis in feci bus voluntantur.

18. Cæterum, præfata Bonaventurae solutioni addimus, quod et si potuerit olim uti Sacerdos uxore habitâ ante ordines apud Græcos ex cap. *Cum olim in decretalibus de Clericis conjugatis*, modo jam illis, & nobis est prohibitum, ut passim centent Doctores apud Frassenum tom. 4. tract. 3. disp. ult. art. 3. §. 9. cum Arcudio lib. 7. cap. 33. & Bertille de Cauf. Matrim. q. 1. §. de Ord. pag. 80. quanquam alii alter sentiant; à quod nos superfedere decrevimus, cùm nostri munera presens non sit resolutio. Et hæc de prima distinctionis parte sufficient.

19. PRO SECUNDÆ verò, & ultimæ distinctionis partis indagine, hæc secunda præfigitur conclusio : *Interfectoribus suarum conjugium penitus interdicitur ad alias transire nuptias.* Quam primò probat Magister ex Nicolao Papâ dist. 33. q. 2. cap. *Interfectores*, his verbis: *Interfectores suarum uxorum impediuntur, nè ad aliud Matrimonium transeant.* Sed dum suarum uxorum occisores impediuntur, nè ad aliud transeant Matrimonium, reverà prohibetur ipsis ad novas transire nuptias : ergo suarum conjugum imperfectores nequeunt alias ducere uxores.

20. Secundò etiam probat ex Pio Papâ ibidem, cap. *Quicunque*, dicente : *Quicunque propriam uxorem absque lege, & sine causa interficerit, aliamque duxerit, armis depositis, publicam agat pœnitentiam.* Sed non tenetur publicam agere pœnitentiam, si aliam posset ducere uxorem: ergo quia propriae uxoris occisor aliud non potest contrahere Matrimonium.

21. Tertiò suaderi valet ex illo vulgari proverbio : In eò, in quo quis peccat, in eò puniendus est; sed qui suam propriam occidit uxorem, peccat intra Matrimonium : ergo in ipso Matrimonio puniendus est; sed aliter puniri non valet, nisi quòd aliam non possit ducere uxorem: igitur imperfectoribus suarum conjugum merito interdicitur posse ad alias nuptias transire.

22. Sed oppones primò : Si quis occideret uxorem alienam, non redderetur inhabilis ad Matrimonium propter homicidium : ergo nec deberet reddi inhabilis ad aliud contrahendum Matrimonium propter uxoricidium. Consequentia probatur : Vir in uxorem propriam plus potest, quam in alienam : ergo si occisio alienæ uxoris virum non retardat à Matrimonii contractione, nec propriae uxoris cædes ipsum impedire poterit.

23. Respondetur negando Consequentiam. Quia licet occisori alienæ uxoris non prohibeat posse contrahere Matrimonium; tamen interemptori propriae merito interdicitur; quia offendit Matrimonium in se, sive magnam illi irrogat injuriam, dum propriam interficit uxorem; ideoque in se debet puniri, prohibendo ipsis posse aliud contrahere Matrimonium; non sic contingit, dum aliena interneccatur uxor; atque adeò Matrimonium in tali non impeditur casu.

24. Oppones secundò : Matrimonii bono magis dissonat adulterium, quam homicidium; sed etsi magis Matrimonii bono sit dissonum adulterium, quam homicidium, non impedit adulterium simpliciter Matrimonium: ergo nec uxoricidium impedire debet, cum minus bono Matrimonii dissonet.

Ref.

25. Respondetur negando absolutè Majorem, & Consequentiam. Quia, etsi adulterium dissonet Matrimonii bono, non magis, nec tantum ac uxoricidium; imò plū notabiliter opponitur uxoricidium, quam adulterium; quia uxoricidium est contra Matrimonii substantiam, ut ex se clare, cùm destruat subjectum; at adulterium est contra bonum fidei sine quo Matrimonium valet esse, ut sèpè contingit: ergo non incongruè deducitur, quòd uxoricidium non retardet Matrimonium, ex quo adulterium non impedit, cùm nullum sit inter ipsa simile.

26. His prædictis, dubium quoddam satis arduum superserit Magister in textu litterâ, dum Nicolai Papæ autoritatem supra apposita profert, scilicet : *An liceat viris uxores adulteras interficere?* Et respondet negativè, tametsi tanti Pontificis autoritas opposito favere videatur.

27. Quod sic primò suadet Magister : Ecclesia nunquam criminosos materiali gladio ferire jubet, sed solum spirituali; sed ex eò quòd Ecclesia veræ ac sanctæ doctrinæ Magistra, nunquam criminosos materiali gladio ferire jubeat, sed solum spirituali, non licet viris uxores adulteras interficere: ergo juxta Ecclesiæ Canones hoc ipsis extat prohibitum.

28. Secundò ex ipso Magistro probatur : Licet mundanæ leges, ut aliquibus placuit, permittant viris posse proprias in adulterio deprehensas occidere uxores; tamen Ecclesia, quæ nullis mundanis constringit legibus, hoc prohibet, & tanquam illicitum damnat; sed Ecclesia, ejusque supremum Caput est infallibilis fidei, morumque regulæ igitur uxores adulteras occidere, etiam viris propriis non licet.

29. Tertiò, aliis similiter rationibus, & congruentiis hoc ipsum probari poterat: Quoad fornicationis, sive adulterii culpam vir & femina suppares arbitrantur; sed nulli mulieri ex lege aliquā licet occidere virum adulterum: ergo nec viro alicui uxorem in adulterio deprehensam perimere, erit licitum; cùm par sit utrobique criminis ratio.

30. Quartò ex Joanne cap. 8. mirabilem mulieris adulteræ historiam describente, ubi Christus Dominus ipsam increpitantibus dixit: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Ergo noluit Dominus, quòd aliquis pro libito occidere possit uxorem in adulterio deprehensam, nisi mundam à peccato conscientiam haberet: ergo cùm rem difficultem à Judæis postularet Dominus, non incongruè ex apposito infertur loco, quòd non liceat viris, proprias in adulterio deprehensas interimeret uxores.

31. Quintò : Qui uxorem adulteram propriâ occidit authoritate,

revera in ipso opere agit contra ius divinum, & canonicum; sed qui in ipso opere contra ius divinum, & canonicum agit, non licet operari: ergo quia interficere uxorem in adulterio deprehensam non licet. Major probatur: Vir tenetur, juxta divinum, & canonicum ius, uxorem in adulterio deprehensam animadvertere, non interficere; cum Deus in lege gratiae semper sit paratus, peccata condonare; quemadmodum colligitur ex mulieris adulterae mirabili exemplo: ergo qui propriâ authoritate uxorem adulteram occidit, haud dubie in ipso opere agit contra ius divinum, & canonicum; ac proinde illicite operatur.

32. Sexto: Matrimonia, ejusque matrimoniales causæ debent trahari lege poli, & non lege fori, sive secundum ius canonicum, & non iure civile: ergo licet ius civile statuat, licitum fore viro occidere uxorem propriam in adulterio deprehensam, hocque sustineat Ecclesia ad terrorem malorum; nihilominus decisioni Ecclesiae firmiter est adhaerendum, cum sit Magistra veritatis, ipsique datum ius civile corrigere, docens non esse occidendam, sed potius dimittendam: ergo nullo ex iure licet interimere adulteram.

33. Septimò denique probatur, eò quod oppositum huic resolutioni extet expressè damnatum à N. SS. D. Alexandro Papâ Septimo, hanc propositionem ex vaclissimo Theologorum cœtu expungente: *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Sed dum maritus authoritate propriâ occidens uxorem in adulterio deprehensam peccat, licet non operatur: ergo non est permisum ipsi interficere uxorem adulterantem.

34. Oppones primò ex Magistro: Nicolaus Papa, ut liquet ex textus litterâ, nimis suffragatur interactoribus suarum conjugum in adulterio deprehensarum: ergo quia ipsis eas interficere licet. Antecedens probatur: Hæc sunt verba Magistri ex Nicolai authoritate deducta: *Hic videtur Nicolaus permittere maritis, pro adulterio, aut hujusmodi uxores suas interficere.* Ergo quia Nicolaus favet suarum uxorum occisoribus crimine adulterii laborantium.

35. Respondetur negando Antecedens, ejusque probationem. Quia, ut textus littera innuit, Ecclesia nullum occidit materiali gladio, sed solum spirituali; & licet marito, secundum mundanam legem, licet interficere uxorem in ipso adulterii actu deprehensam; nunquam tamen Ecclesia Sancta mundanis constringitur legibus; ideoque nec facit occisoribus conjugum, nec ipsis eas occidere permittit.

36. Oppones secundò: Ecclesia Romana utrumque comprehendit gladium, materialem quippe, & spiritualem: ergo permittit viris suas pos-

posse occidere uxores in adulterio deprehensas. Antecedens probatur ex illo satis trito testimonio Lucæ cap. 22. dicente: *Ecce duo gladii, hic.* Et tunc Dominus dixit Discipulis: *Saris est.* Ergo Ecclesia genufnum comprehendit, materialem scilicet, & spiritualem gladium; sicque permettere poterit viris suas posse interficere uxores in adulterio deprehensas.

37. Respondetur negando Consequentiam, & iterum probationis Consequentiam. Quia, et si duo gladii materialis quippe, & spiritualis Ecclesiae convenient; non tamen codem fine, aut ratione ipsi aptantur, & ab ipsâ tractantur; quia spiritualis extrahendus est propriâ Ecclesiae manu; materialis verò, non manu, sed tantum nutu; ideoque nunquam Ecclesia approbat, aut permisit viris occisionem propriæ uxoris in adulterio deprehensa.

38. Oppones tertio: Pasim humana Lex, sive ius cæsareum permettit viro propriæ uxoris occisionem in ipso adulterii actu deprehensa; sed tales leges, sive jura approbat, & sustinet Ecclesia: ergo cum hæc approbare non debeat nisi licitum, non incongruè deducitur, quod viro liceat uxorem actu mœchante interficere.

39. Respondetur negando Minorem, & Consequentiam. Nam in lege humanâ, sive cæsareo jure plura continentur, ex quibus nonnullâ approbat Ecclesia, alia sustinet, & abolet alia. Hoc ergo, quod suas possint viri proprias in adulterio deprehensas occidere uxores, non approbat Ecclesia; sed, aut sustinet ad aliorum metum, terroremque, aut penitus talem antiquat legem; cum olim multoties prohibuerit Ecclesia, & novissime Alexander Septimus damnayerit hanc fatalem, & infestam doctrinam, de eò quod liceat viris, propriâ authoritate interficere uxores in adulterio deprehensas.

40. Oppones quartò: Juxta genuinum litteræ textus captum, licet viris suas posse corriger uxores; sed correctio debet esse juxta criminis qualitatem: ergo secundum quod gravius peccant, gravius debent eas punire; sed mulier mœchans digna est mortis poena: ergo si viram interficiat, licet operabitur, & nulli subjicietur poena.

41. Respondetur, quod et si viris liceat suas posse corriger uxores, eo quod vir sit mulieris caput, teneaturque eas regere; nihilominus correctio tanta, & talis debet esse, ut non auferat locum pœnitentia; quod haud dubie contingeret, si propriâ authoritate posset vir occidere uxorem in adulterio deprehensam. Unde, dum vir ita corrigit uxoris culpam, ut excedat correctionis limites, jam non est zelus correctionis, sed furor occisionis; sicque operari, ei non licet. Et hæc de se-

secundâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QUÆSTIONES.

42. QUÆST. 1. An, & qualis Ordo dirimat Matrimonium? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 37. q. 1. art. 1. Gonetus tom. 5. tract. 8. disp. 9. art. 6. Contenson tom. 2. lib. 11. p. 4. dissert. 4. cap. 2. specul. 1. Anton. à Spirit. S. tom. 1. tract. 11. disp. 7. sect. 7. Sotus in 4. dist. 37. art. 1. Reding tom. 8. q. 11. art. 1. Controv. 2. Cassianus à S. Eliâ tom. 1. verb. Matrim. cap. 21. §. 4. Raynerius de Pissis tom. 1. verb. Ordo, tit. 1. num. 1. Mauritius de Lezanâ tom. 1. verb. Ordo, num. 1. & seqq.
43. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 37. q. 1. Mastrius in 4. disp. 7. q. 16. art. 2. Hiquæus in 4. dist. 37. art. 1. & seqq. Boscus tom. 6. disp. 12. sect. 4. Cotonius tom. 1. lib. 5. cap. 1. Controv. 1. q. 1 & seqq. Castillentus in Polyanth. Seraph. verb. Ordo, diff. 1. num. 1. Portel in dub. Regular. verb. Ordo, num. 1. & seqq. Brancatus disp. 16. q. 1. & seqq. Durand tom. 4. tract. 5. disp. ult. q. ult. Frassen tom. 4. disp. ult. art. 3. §. 9.
44. Ex Scholâ Eximiâ Valentia tom. 3. disp. 6. q. 6. punct. 5. Tambur. tom. 2. lib. 8. cap. 9. Carleton tom. 2. disp. 104. sect. 1. Sanchez lib. 7. disp. 28. Fillucijs tract. 10. p. 2. cap. 4. num. 121. Layman tract. 10. p. 4. cap. 2. num. 3. Henriquez lib. 12. cap. 5. num. 9. Coninch de Sacram. Ordin. disp. 11. Dicastillo tom. 3. tract. 10. disp. 7. dub. 18. Vazquez 3. p. tom. 3. disp. 249. cap. 3. Palao disp. 4. punct. 6. num. 6. Platelus tom. 5. cap. 7. §. 7.
45. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 37. q. 1. & 2. art. 1. Basilius Ponze de Matrim. lib. 7. cap. 27. num. 5. Bonacina de Matrim. q. 3. punct. 9. num. 8. & 12. Bassro verb. Matrim. §. 3. num. 14. Gavardi tom. 6. q. 3. de Matrim. art. 2. Aversa de Matrim. q. 4. sect. 7. Gaudentius tom. 7. tract. de Ordin. disp. 5. q. 3. Marchinus de Ordin. tract. 2. q. 6.
46. QUÆST. 2. An, & quo jure Ordini sacro annexa sit continentiae obligatio? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 37. q. 1. & seqq. & 2. 2. q. 88. art. 11. & 3. p. q. 53. art. 4. Gonet tom. 5. tract. 7. disp. 3. art. 3. Reding tom. 6. q. 10. art. 5. Controv. 1. Contenson tom. 2. lib. 11. p. 4. dissert. 4. cap. 2. specul. 1. Cassianus à S. Eliâ tom. 1. verb. Matrim. cap. 21. §. 4. & seqq. Anton. à Spirit. S. tom. 1. tract. 11. disp. 7. sect. 8. Sotus in 4. dist. 37. art. 1. & seqq.
47. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 37. q. 1. Mastrius in 4. disp. 7. q. 16. art. 2. Frassen tom. 4. disp. ult. art. 3. §. 9. Hiquæus in 4. dist.

37. num. 2. & seqq. Boscus tom. 4. disp. 10. sect. 5. Castillentus in Polyanth. Seraph. verb. Ordo, diff. 1. & seqq. Durand tom. 4. tract. 5. disp. ult. q. ult. Portel in dub. regular. verb. Ordo, num. 2. & seqq. Lauræa de Matrim. disp. 16. q. 1. & seqq. Cotonius tom. 1. lib. 5. cap. 1. Controv. 1. q. 1. & seqq. Aquila in 4. dist. 37. q. 1. & 2.

48. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 17. Tambur. tom. 2. lib. 7. cap. 3. §. 3. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 27. Gasp. Hurtado de Ordin. diff. 16. Valentia tom. 3. disp. 9. q. 5. punct. 5. §. 2. Berllam. tom. 2. lib. 1. de Cler. cap. 18. Amicus de Ordin. disp. 12. sect. 13. Coninch disp. 10. de Ord. dub. 13. num. 30. Castro Palao de Ord. punct. 17. num. 5. Esparza tom. 2. lib. 10. q. 109. Platelus tom. 5. cap. 7. §. 7.

49. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 37. q. 2. 3. & seqq. Gaudentius tom. 7. tract. de Ord. disp. 5. q. 3. Marchinus de Ord. tract. 2. q. 6. Bassro verb. Matrim. §. 3. num. 13. Aversa de Matrim. q. 4. sect. 7. Basilius Ponze lib. 7. de Matrim. cap. 27. Gavardi tom. 6. q. 3. de Matrim. art. 2. & seqq. Bonacina de Matrim. q. 3. punct. 9.

50. QUÆST. 3. An ordines minores impedit Matrimonium? De quo, hic, quæst. 1. & 2.

51. QUÆST. 4. An uxoricidium, sive viricidium impedit Matrimonium? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in Suppl. 3. p. q. 66. art. 2. Salmant. tract. 9. cap. 12. punct. 4. Anton. à Spirit. S. tom. 1. tract. 11. disp. 7. sect. 14. §. 1. Reding tom. 8. q. 13. art. 1. Controv. 1. Sotus in 4. dist. 37. art. 2. & seqq. Contenson tom. 2. lib. 11. p. 4. dissent. 5. cap. 3. specul. 1. Mauritius de Lezanâ verb. uxoricid. num. 1. Cassianus à S. Eliâ tom. 1. verb. Matrim. cap. 22. §. 5. & seqq.

52. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 37. q. 1. Poncios tract. 11. disp. 49. q. 14. Boscus tom. 6. disp. 12. sect. 8. Durand tom. 4. tract. 5. disp. ult. q. ult. Castillentus in Polyanth. Seraph. verb. uxoricid. diff. 1. num. 1. & seqq. Mastrius in 4. disp. 7. q. 19. art. 1. Hiquæus in 4. dist. 37. art. 2. num. 1. & seqq. Frassen tom. 4. disp. ult. art. 3. §. 7. Rodriguez tom. 1. Summa, cap. 229. num. 5. Cotonius tom. 1. lib. 5. Controv. 1. cap. 5. q. 4. dub. 3. & 4.

53. Ex Scholâ Eximiâ Carleton tom. 2. disp. 104. sect. 1. Tambur. tom. 2. lib. 8. cap. 6. §. 1. & seqq. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 78. num. 18. Dicastillo tom. 3. tract. 10. disp. 7. dub. 56. Coninch. disp. 31. num. 55. Mart. Perez. de Matrim. disp. 37. Gasp. Hurt. disp. 23. diff. 1. num. 3. Toletus lib. 1. de Matrim. cap. 22. Gobat tract. 9. num. 180. Platelus tom. 5. cap. 7. §. 7.

54. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 37. q. 3. art. 2. Diana p. 9. tract. 7. resol. 21. Bonacina de Matrim. q. 3. punct. 6. num 7. Bassæo verb. Matrim. §. 6. num. 28. & 29. Gavardi tom. 6. q. 3. de Matrim. art. 7. Gaudentius tom. 7. disp. 6. q. 1. Marchin. tract. 3. q. 1. & seqq. Basilius Ponze lib. 7. de Matrim. cap. 28. & seqq. Aversa de Matrim. q. 5. sect. 8. & seqq.
55. QUÆST. 5. An liceat marito occidere uxorem in adulterio deprehensam? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 37. art. 1. q. 2. Reding tom. 8. q. 13. art. 2. Controv. 1. & seqq. Anton. à Spirit. S. tom. 1. tract. 11. disp. 7. sect. 15. §. 1. Salmant. tract. 9. cap. 12. punct. 4. Contenson tom. 2. lib. 11. part. 4. dissert. 6. cap. 4. specul. Sotus in 4. dist. 37. art. 3. & seqq. Cassianus à S. Eliâ tom. 1. verb. Matrim. cap. 23. §. 1.
56. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 37. q. 1. Frassen tom. 4. disp. ult. art. 4. §. 1. Boscus tom. 6. disp. 12. sect. 9. Controv. 1. & seqq. Hiquæus in 4. dist. 37. art. 2. num. 1. & seqq. Cotonius tom. 1. lib. 5. Controv. 2. cap. 4. dub. 1. & seqq. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. Matrim. diff. 3. num. 1. etiam in tom. 2. q. 1. tract. 1. cap. 1. dub. 1.
57. Ex Scholâ Eximiâ Card. Lugo tom. 1. de inst. disp. 10. sect. 10. Beccanus p. 2. tom. 3. de inst. & jure, cap. 8. q. 5. Sanchez de Matrim. lib. 10. disp. 8. tract. 39. Azor 1. p. lib. 5. cap. 20. q. 1. Tambur. lib. 6. cap. 1. §. 4. num. 3. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 8. punct. 3. Moya in Select. tom. 2. tract. 6. disp. 3. q. 1. Lassius de inst. & jure, lib. 2. cap. 9. dub. 5.
58. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 37. art. 2. q. 1. Barbos. in Collect. tom. 4. p. 2. caus. 33. q. 2. Anton. Gomez in 1. Tauri, num. 6. Diana 3. p. tract. 4. resol. 223. Basilius Ponze lib. 6. de Matrim. cap. 15. Gaudentius tom. 3. tract. 1. disp. 17. q. 18. Thom. Hurtado tom. 2. tract. ult. lib. 5. §. 7. num. 204.
59. QUÆST. 6. An occidere uxorem adulteram sit gravius peccatum, quam matricidium? De quo, hic quest. 4. & 5.
60. QUÆST. 7. An adulterium sit majus peccatum, quam stuprum? De quo, hic quest. 4. & 5.
61. QUÆST. 8. An adulter vir gravius peccet, quam adultera uxoris? De quo, hic quest. 4. & 5.
62. QUÆST. 9. An adulterii culpa in prolem potius transfundatur? De quo, hic quest. 4. & 5.
63. QUÆST. 10. An adulterium sit semper causa sufficiens ad divorvium? De quo, dist. 33. quest. 6.
64. QUÆST. 11. An in veteri lege poenâ aliquâ afficiebatur adulterium? De quo, hic q. 4. & 5.

QUÆST.

65. QUÆST. 12. An Pontifex possit licetè ac validè in impedimentis dispensare? Ex Angelicâ Scholâ D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 9. & seqq. Reding tom. 8. q. 14. art. 1. Controv. 1. Prado tom. 2. cap. 33. q. 3. §. 2. Anton. à Spirit. S. tom. 1. tract. 11. disp. 8. sect. 1. Salmant. tom. 2. tract. 6. cap. 14. punct. 1. Contenson tom. 2. lib. 11. p. 4. dissert. 4. cap. 2. specul. 3. Labat tom. 7. tract. 3. disp. 6. dub. 8. Gonet tom. 5. tract. 8. disp. 6. art. 2. §. 3. Joan. à S. Thomâ tom. unic. disp. 29. q. 88. art. 18. & seqq. Capisuchus Controv. 11. q. unic.

66. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 33. q. 1. & seqq. Mastrius in 4. disp. 7. q. 20. art. 1. Boscus tom. 6. disp. 12. sect. 13. Angles 2. p. q. unic. de voto, art. 8. diff. 1. Cotonius tom. 1. lib. 4. Controv. 5. cap. 5. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. dispens. diff. 1. num. 1. & seqq. Hiquæus in 4. dist. 33. art. 2. & seqq. Durand tom. 4. tract. 5. disp. ult. quest. ult.

67. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tract. de voto, lib. 6. cap. 9. Dicastillo de Matrim. disp. 8. dub. 4. Gobat de Sacram. tract. 9. num. 572. Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 12. Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 4. Fillius tract. 10. cap. 10. Henriquez lib. 12. cap. 3. num. 1. Coninch. disp. 33. num. 35. Palao de spons. disp. 4. punct. ult.

68. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 33. q. 1. art. 1. & seqq. Diana p. 8. tract. 3. resol. 78. Sylveira Opuscul. variare sol. 2. & 7. de protest. q. 1. Gavardi tom. 6. q. de Matrim. art. 9. Sayrus lib. 6. cap. 11. num. 9. Faustus lib. 3. q. 36. num. 3. Bonacina q. 3. punct. 15. num. 2.

69. QUÆST. 13. An Pontifex dispensare possit in impedimento ordinis? De quo, hic quest. 12.

70. QUÆST. 14. An Papa dispensare possit in voto solemni castitatis? De quo, dist. 38. quest. 4.

